

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv

**Bernhold, Johann Balthasar
Schifflin, Johann Sigismund**

Altorfii, [1730]

§VIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)

§. VIII.

Definitioni subiungimus receptae παιδείας ergo *synonyma* Synonyma formulae fidei uocabula. Ea sunt uel biblica, uel ecclesiastica. Biblica sunt: ὑποτύπωσις ὑμαινόντων λόγων, II. Tim. I 13. τύπος διδασχῆς, Rom. VI. 17. (de quibus infra latius) ecclesiastica formularum fidei synonyma sunt partim patrum graecorum, partim latinorum. Patribus graecis frequentata sunt: Πίσις, ἐκθεσις τῆς πίστεως, ὁμολογία τῆς πίστεως, τῆς θείας διδασκαλίας ὁμήμα, κανὼν τῆς ἀληθείας ἀκλινης, ἰδίωμα πίστεως, καὶ τῆς ἐκκλησίας χαρρατὴρ, παραδόσις καὶ διδασκαλία καὶ πίστις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, μάθημα. Latinis Patribus e multis usitatissima sunt: Fidei regula immobilis et irreformabilis; norma praedicationis; fidei confessio siue professio, et quod maxime usu uenit, symbolum. Nouissime ueniunt titulo: Libri Concordiae, librorum normalium, et corporis doctrinae. [de his et aliis titulis conf. CASP. LOESCHERI *Diss. de Formularum fidei necessitate* §. 2. ABR. CALOVII *Criticus Sacer.* p. 3. IOH. HERM. AB ELSVICH *de Reliquiis Papatus Eccl. Luth. temere affictis* p. 55. B. IOH. FRANC. BVDDEI *Isagoge* p. 439. 440. *affinitatem quandam cum formulis fidei habent litterae ueteris Ecclesiae communicatoriae et formatae, teste CARPZOVIO l. c. p. 6.*]

§. IX.

Iustitiam cum fidei formulis tribuo, pono, Christianum coetum, ad quem fidei formulae spectant, in iis condendis et proponendis *iuste* agere, i. e. loquor de ecclesiaste quodam *iure* tanquam eius attributo quodam. Ius ecclesiasticum in nullo facto acquisitum, facta nimirum plurium in unum, qui Christianus appellatur, coetum coalitione. E cuius consideratione rite et sponte sua fuit aliqua eiusmodi facultas, intimoque nexu cum eadem cohaeret, quam non modo nullae prohibent leges, sed et quaedam eandem insinuant et suppeditant;

B

immo

Form. fidei
Iustitiae ex-
plicatio et
diuisio.